

Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 163

In nomine sancte et individue Trinitatis. Notum sit omnibus tam presentibus quam et futuris sancte matris ecclesie filiis, qualiter ego in Dei nomine Reginnerus, Dei patrocínio et clementia comes et quamquam indignus monasterii sancti patris Willibrordi eiusdemque congregationis abbas et rector, congrua sanaque cuiusdam ex eodem collegio fratris nomine Herfridi ammonitione pulsatus, quandam villulam vocabulo Cruftam cum suis appenditiis antiquorum largitione legitima orthodoxorum virorum ad hospitale Honorati confessoris Christi pertinentem susceptionibusque illuc confluentium nobilium seu pauperum delegatam, iniquorum suggestionibus ab antecessorum meorum prava dominatione scilicet abbatum seu comitum aliorum- que seniorum iniuste abstractam, ob mearum erectionem commissarum, ex diversis terrarum finibus hospitibuse venientibus utilitatem commodumque peragens, multorum sub speciebus redonavi. Pauca igitur revertendo redonantur, sed tamen nominabuntur; hoc est basilica una inibi constructa una cum ceteris dominicarum munitio edificiis, tam mansis quam sedilibus, vineis, molendinis, piscationibus, pratis, campis, silvis, pascuis, aquis aquarumve decursibus, exitibus et reditibus, mancipiis utriusque sexus, quatinus tam validis quam invalidis fessisque Deum omnipotentem piissimumque illius sacerdotem, videlicet sanctum Willebrordum perquirentibus, futuris temporibus alimoniam largius prebendo proficiat in augmentis. Si quis autem, quod fieri non optamus, ego, quod absit, aut aliquis successorum meorum contra hunc redonationis titulum venire aut illum infringere conatus fuerit, Dei omnipotentis iudicium incurrat, sanctumque Willibrordum, cuius elemosinam evertere nititur, inquisitorem acquirat, et quod repetit evindicare non valeat, sed presens donationis firmitas in evum inconvulsa persistat corroboracione subnixá. Actum VIII anno regnante Luodowico glorioso rege.